

eatem, thesauros, semen, longævitatē in hoc seculo. Sunt igitur bona hujus seculi ordine ista:

1. Dignitas. Quæ confutatur ex eo, quod terra, infimum sordidissimumque omnium rerum, omnem dignitatem sibi subiciat. *præcellentia terra*, quatenus observatur, colitur, & ab ea omnium spes animique pendent, potestque negando vim suam elatos submilesque deprimere, *est in omnibus vel in omnes*, hoc est, omnium dignitatem premit, stringitque inevitabiliter. Notatur, 1. dignitatem nullam stabilem esse; neque ita quempiam à communi sorte exemptum, quin temporibus subiectus sit, æquè ac vilissimus quisque. 2. Deum fragilitate nostra, ob quam tot subsidiis indigemus, fibulam superbię nostrę ponere, & ipsa terræ, unde omnes alimur, vilitate nos ad humilitatem & æquanimittatem deducere. 3. Omnem dignitatem niti viliorum inferiorumque adminiculis ac sustentaculis, quibus subtractis, ipsa sua mole corruat. Ideoque nihil esse, nisi magnam servitutem. Nam quod terra est ad hominem, hoc est vulgus ad digniores, ex quo illis honoris q. proventus nascitur. Ergo *ἐλάττω* alibi quàm in dignitate quærenda. Illud ostendit in exemplo. Rex (q. d. quantò magis alius quisvis) *agro mancipatur vel obnoxius est*. vers. 8. Non enim poterit subditos in officio continere, regere, defendere, sine administris per multis. quibus uti nō potest volentibus ac faventibus, nisi habeat, unde eos alat. Quod ut praesto sit, necesse est, ut curam adhibeat, quò & ager multorum cultu uberrimus sit, & agricolæ, infimi hominum, quàm plurimum in usum communem exhibere & possint & velint. De qua re eleganter Xenoph. 5. apomn. Tu vide exemplum in Solomone 1. Reg. 4:6, 26, 27.

2. Pecunia; cujus vanitas,

7.9.

a. quòd ejus amatores insatiabiles. Confer 1. Tim. 6:9. 10. Quidam Hebræi, *non satiatur pro vescitur ad satietatem*. Confer Luc. 12:15.

b. quòd neminem copia (vide Psal. 37:16.) delectat sine proventu terræ. vers. 9. Innotuit 1. finis pecuniæ habendæ, nim. ad emendum necessaria subsidia. Quod igitur supra illam necessitatem est, inutile est. 2. ineptitudo pecuniæ ad oblectandum hominem. Nam, si *ἀφροειά* sit, neque sit, quod emere possit sua pecunia, necessariò eò majorem cruciatum afferet, quò major fiducia

D a

ia